

habent, quam mere humanam; dum vero Pontifex dispensat in matrimonio rato, potestate non humana, sed divina utitur a Christo concessa.

412. *Obj. IV. S.* Pontifex nequit dispensare in jure naturali et divino, ex communi sententia: atqui etiam matrimonium ratum jure divino et naturali insolubile est.

Conf. Matrimonium ratum est vere sacramentum, et hujus essentia est, ut sit perpetuum et insolubile: sed Pontifex non obstante sua generali potestate mutare essentiam sacramenti non potest; ergo.

R. C. Maj. D. min. Est insolubile jure divino et naturali absolute et pro omni casu *N.* non absolute, nec pro omni casu *C.* Diximus supra art. præc. quod jure divino habeat insolubilitatem non absolutam, sed conditionatam; nisi dissolutionem ejus justa causa suadeat; ex hac vero posse illud potestate a Christo accepta Pontificem solvere, hactenus probavimus. Jus vero naturale pro hoc casu, pro quo Christus facultatem dabit, nunquam dissolutionem prohibuit; sive casus hic nunquam fuit objectum vel materia legis naturalis prohibentis. Deinde retorqueo in votis, in quibus dicitur dispensare Pontifex, licet obligatio voti juris divini et naturalis sit.

Ad Conf. R. N. suppos. min. Pontifex enim tunc non mutat essentiam sacramenti; sed tantum tollit vinculum, quod est effectus, non sacramentum; effectus vero non est necessario inaufertibilis, vel inamissibilis. Respondent etiam alii, Pontificem directe irritare contractum, scilicet ut in vinculo perseverantem, quo sublato ratio sacramenti in illo fundata, indirecte definit. Deinde quod additur in *Majore*, essentiam sacramenti esse, ut sit perpetuum et insolubile, *N.* simpliciter in matrimonio rato tantum; quia alias nec ob professionem religiosam solvi hoc matrimonium posset. Et ratio est, quia deest perfecta significatio unionis Christi cum Ecclesia insolubilis; cum matrimonium ratum solum significet conjunctionem Christi per charitatem cum anima justi, quæ conjunctio solvi potest.

413. *Obj. V.* Matrimonium ratum juxta communem differt a consummato solum accidentaliter, non essentialiter; ergo vel in utroque poterit dispensare Pontifex, vel in neutro poterit: atqui falsum consequens quoad primam partem.

R. 1º. Si argumentum hoc aliquid probaret, sequeretur, neque per professionem religiosam dissolvi matrimonium ratum.

R. 2º. N. seq. Quia solubilitas non provenit ex natura rei, sed ex sola voluntate Christi.

R. 3º. D. Maj. Differt tamen sicut integraliter imperfectum a sic perfecto *C.* neque sic differt *N.* Illa autem integrali perfectione per consummationem significat perfecte unionem Christi cum Ecclesia perpetuam; non vero sine consummatione.

CAPUT VI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

414. Impedimenti nomine aliquid præexistens indicatur, quod matrimonium aut invalidum, aut illicitum reddit. Impedimenta hæc duplicis sunt generis: *Dirimentia*, quæ, ne matrimonium *valide* contrahatur, faciunt. *Impedientia* tantum, quæ etiam prohibentia dicuntur, quæ matrimonium quidem *illicitum* reddunt, non tamen invalidum. Nos hac in materia, quæ plurimam partem tum Theologiæ moralis, tum juris canonici forum respicit, eas quæstiones delibabimus, quæ fori Theologiæ scholastico-dogmaticæ magis propriæ sunt; proinde inquiremus 1º. penes quem sit potestas statuendi impedimenta matrimonii? 2º. Utrum hæretici nostri teneantur etiamnum impedimentis introductis solo jure ecclesiastico? Tum demum 3º. brevem, quantum huc pertinet, impedimentorum syllogen addituri.

ARTICULUS I.

PENES QUEM SIT POTESTAS STATUENDI IMPEDIMENTA MATRIMONII?

415. Nullis legibus ecclesiasticis impediri posse matrimonia pertinaciter Luthero visum est; contra Catholici post Conc. Tridentini Sess. 24. can. 4. definitivam sententiam, nunc omnes hanc potestatem reverentur in Ecclesia; tametsi ante Tridentinum non pauci dubitarint, sitne hominum ulli ea potestas a Christo concessa? Imo ex ipsis laudati Concilii Patribus 40. omnino Episcopi, alique Doctores fuere, qui initio putarent, non esse hanc potestatem in Ecclesia; eo quod, ut ipsis videbatur, Ecclesia quoad sacramentorum materiam ac formam immutare quid æque parum posset, quam sacramenta aut nova concedere, aut tollere antiqua.

Post Tridentinum Doctores catholici in eo duntaxat discrepant, penes quem in Ecclesia ea potestas resideat? An privative penes magistratum ecclesiasticum, et quisnam eo nomine intelligi debeat? An etiam penes principes seculares, saltem quoad jus, quod ipsis innatum dicitur, valorem contractuum certis legibus definiendi; tametsi hoc jure suo cesserint sponte quoad matrimonii contractum, juris illius exercitium committentes Ecclesiæ; quæ est Petri Soto sententia, quem sequitur Honorat. Tournely, ac quidam alii Doctores Galli. Contra soli Pontifici, ac Ecclesiæ sive Concilio universali potestatem hanc convenisse semper, et esse propriam, Bellarminus et Vasquez contendunt, quibuscum sentit communior Theologorum et Canonistarum pars. Has inter duas sententias plane singularis est illa Launoi Doctoris Sorbonici opinio, qui Lib. de regia in matrimonium potestate, ut potestatem hanc principibus secularibus vindicaret, neve offedere

videretur in canonem Conc. Trid. sub anathematis pœna hanc potestatem Ecclesiæ adstruenti, Ecclesiæ nomine contendit debere intelligi cœtum fidelium, non quidem quatenus Pontificem et ordinem sacerdotalem complectitur, sed prout constat ex regibus et magistratibus politicis, Lib. cit. pag. 293. At tam insolens Launoii assertum, de quo nos pauca inferius, continuo multis confutarunt insignes duo alii Doctores Sorbonici, alter Lib. *Traité du pouvoir de l'Eglise et des Princes sur les empêchements du Mariage*. Paris. 1697. invicte demonstrans adductis quovis ex seculo testimoniis, Ecclesiam nequaquam precario, sed proprio ac nativo jure hac potestate usam in statuendis impedimentis dirimentibus. Alter Lib. *Observationes in librum magistri Joannis Launoii de regia in matrimonium potestate anno 1678. malam Launoii fidem demonstrans in depravandis, ac interpolandis textibus; expilatumque ab eo fuisse totum prope Antonium de Dominis, dictum alias vulgo, Spalatemem.*

Nos Bellarminum et Vasquez secuturi 1^o. contra Lutherum potestatem adstruemus in Ecclesia statuendi impedimenta matrimonii dirimentia. 2^o. Eam non promiscue aliis in Ecclesia; sed soli S. Pontifici, ac Ecclesiæ sive Concilio universali competere.

416. *Dico I.* Datur in Ecclesia potestas statuendi impedimenta matrimonii, non tantum impediencia, sed etiam dirimentia. Est de fide, juxta Trident. de Ref. Matr. Sess. 24. can. 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in illis constituendis errasse, anathema sit.*

Et ratio est, quod hæc potestas sit Ecclesiæ necessaria ad commune regimen, et bonum animarum, cum sine hac sufficienter suis providere non posset, eo quod multi perverso modo se gerant in contrahendo in periculum proprium æque ac sæpe prolium. Sic disparitas cultus, quæ tempore Apostolorum nec illicitum nec invalidum reddebat matrimonium, quod tunc plerumque spes esset ob frequentes conversiones fore, ut pars fidelis converteret infidelem; postea tamen ab Ecclesia ceu impedimentum dirimens declarata fuit, quod tunc, cum rariores conversiones essent, experientia doceret contrarium, partem fidelem una cum proliibus perverti. Sic impedimentum criminis inductum fuit ad tollenda conjugicia, etc.

Conf. 1. Matrimonium in contractu legitimo et valido consistit; potestatis legislativæ autem Ecclesiæ est æque hunc, quam varios alios regulare contractus, in quantum exigit commune et spirituale animarum bonum dare leges et conditiones, sub quibus non aliter valeat.

Conf. 2. A traditione et praxi totius Ecclesiæ, quæ ex Conciliis et Epistolis decretalibus cognosci potest; et de qua longior infra sermo erit.

417. *Obj.* A nulla potestate mutari potest alicujus sacramenti substantia, ut docet Tridentin.: atqui si constilui possent ab Ecclesia impedimenta matrimonii dirimentia, mutari posset substantia sacramenti matrimonii; his enim statutis contractus, qui antea erat materia sacramenti matrimonii, desineret esse materia; surrogaretur enim nova, quia novus contractus.

R. N. min. et prob. Ratio est, quia pro materia hujus sacramenti Christus

assignavit sub ratione generica contractum legitimum, h. e. initum juxta leges; quis vero esset contractus ille legitimus, Christus in specie non determinavit, sed potestati legislativæ reliquit, sive arbitrio Ecclesiæ: unde dum Ecclesia ad boni communis exigentiam contractui suas leges dat, hic erit legitimus; ergo ipsam materiam non mutat, quia manebit semper: contractus legitimus est materia sacramenti matrimonii. Quod cum in Synodo Tridentina ita, allatis etiam exemplis, exposuisset Camillus Campegius; Patres Tridentinos in ejus ivisse sententiam, atque approbasse refert Pallavicinus.

418. *Dico II.* Nec Episcopis, nec aliis Prælati inferioribus competit potestas inducendi impedimenta saltem dirimentia.

Colligitur ex c. 1. et 2. de translat. Episc. vi quorum majores causæ, cujusmodi haud dubie matrimoniales sunt, ubi de valore agitur, quæque sacramenta spectant, summo Pontifici reservatæ manent; item ex praxi ipsa. Præterea in iis, quæ ad sacramenta pertinent, quantum fieri potest, debet esse in tota Ecclesia uniformitas; ergo illa statuere potestatis tantum universalis esse debet. *Nec dicas:* Impedimenta quædam etiam dirimentia olim ab Episcopis et Conciliis provincialibus introducta sunt, ut testis est Pontius L. 2. de Matr. c. 2. nam fatetur idem, ex impedimentis Episcoporum et Conciliorum provincialium auctoritate introductis quædam a Sede Apostolica rejecta et explosa fuisse, quædam vero ejusdem Sedis auctoritate, vel accedente ratificatione approbata, sicque constituta fuisse; quo modo impedimenta dirimentia induci posse ab Episcopis, nemo in dubium vocat.

Dixi: saltem dirimentia. Nam quoad impediencia, quin ea statuendi potestas competat Episcopis, nobis quidem cum Clericat. de Sacr. Matrim. Decis. 18. aliisque non videtur dubium. 1^o. Quia prohibitio præcise matrimonii citra ejus irrationem non videtur esse una ex causis majoribus. 2^o. Quia quilibet Superior potest sæpe ex emergente justa causa prohibendo illicitum reddere, quod erat licitum. 3^o. Quia Ecclesiæ vetitum inter impedimenta impediencia refertur; licere autem Episcopis respectu diœcesis suæ, imo prælati aliis, si in certi territorii clerum et populum jurisdictionem quasi episcopalem obtineant, aliquibus justa de causa interdicere matrimonio, communis est auctorum consensus apud Schmalzgr. ad Tit. de Interdicto.

419. *Dico III.* Nec princeps secularis, etiamsi potestate absoluta ferendi leges gaudeat, statuere potest impedimenta matrimonii subditis suis fidelibus; sed potestas ea soli Ecclesiæ competit, adeoque Romano Pontifici, ac Concilio universali.

Prob. I. Ex Conc. Trid. quod cit. Sess. 14. can. 4. hanc potestatem Ecclesiæ asserit sub pœna anathematis, nihil prorsus memorando de principibus secularibus; ergo, cum definitio illa Tridentini in re dogmatica sit, propositioni exclusivæ æquivaleret, ut sensus sit, soli potestati ecclesiasticæ hoc jus competere; sicut dum inquit Conc. Sess. 14. can. 15. *Claves datas esse Ecclesiæ; Sess. 25. in Decr. de Indulg. potestatem conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessam esse, sensus est exclusivus, ut excludatur quævis*

potestas alia, etiam regia. *Conf.* Ex ejusd. Sess. can. 12. ubi: *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.* Unde ita arguimus: plus est contrahendis inter fideles matrimoniis leges ponere, et statuere impedimenta, quam de matrimonialibus causis, quæ inter fideles oriuntur, cognoscere: atqui potestas secularis de his cognoscere non potest juxta Trid. ergo multo minus impedimenta statuere, cum recepta sit regula: *cujus quis in aliqua materia non sortitur forum, ejus etiam legibus non ligatur.* c. fin. de Constit. in 6. L. fin. ff. de Jurisd.

Respondet Launoius 1°. In Tridentino can. 4. non statui dogma, sed disciplinam invehi. 2°. Per Ecclesiam summos principes politicos ac reges intelligi. Sed contra *primum* est, quod in canone duo distingui oporteat, nempe impedimenta ipsa, et potestatem impedimenta decernendi: illa ad disciplinam pertinent, si juris solius ecclesiastici sint, cum, ut exigente causa statuta sunt, sic tolli possint, ut factum nemo ignorat: hæc vero, sive potestas ipsa ad doctrinam, sive dogma fidei pertinet, cum definitio ea Lutheri errori sub pœna anathematis in canonibus, in quibus a Tridentino non nisi dogmata continentur, sit directe opposita.

Contra *alterum* est 1°. vulgatissima illa Ecclesiæ notio, quæ omnium omnino orthodoxorum animis adeo alte insidet, ut vel pueri, qui prima elementa fidei perceperunt, dum audiunt Ecclesiam, intelligant cœtum fidelium sub legitimis pastoribus congregatum, nimirum spiritualibus, ad quem cœtum non aliter pertinent seculares principes, quam privata membra: sic dum audimus *legem esse latam ab Ecclesia; ita definitivisse Ecclesiam, etc.* nemo orthodoxus seculares principes intelligit, sed summum magistratum ecclesiasticum. 2°. Quod S. Scriptura voce *Ecclesiæ* nunquam seculares principes; sed fideles omnes tam plebeios, quam alios cum sacris suis præsulibus, sive pastoribus intelligat: erat Petrus in carcere, et *Ecclesiam* pro eo preces effudisse legimus, numquid tum principes effuderunt? Columna dicitur ab Apostolo et firmamentum veritatis; sed qui principes seculares ante Constantini M. conversionem fulciebant Ecclesiam? Ab eodem Apostolo sponsa Christi appellatur *sine macula et ruga*; an hic politici principes indicantur? 3°. Vox *Ecclesiæ* can. cit. a Patribus Tridentinis sumitur eo sensu, quo sumebatur a Lutero, hunc enim ibi damnant: at Lutherus negans Ecclesiam posse condere impedimenta, pastores sacros, maxime Rom. Pontificem intellexit serm. de Matrim. inquit: *duodeviginti causas in suo jure effinxit Papa, quibus matrimonium vel dissipet, vel impediatur, quas tamen ferme omnes rejicio et condemno, etc.* non vero seculares principes; cum enim Lutero matrimonium non nisi contractus civilis esset, hic necessaria sequela ex Lutero subditus manebat legibus civilibus principum, sicut sunt semper contractus civiles cæteri.

Prob. II. Ex Traditione Ecclesiæ perpetua. Nam tribus prioribus Ecclesiæ seculis Ecclesiam quædam statuisset impedimenta, testis est BASILIUS in epist. ad Diodorum (opp. t. 3. p. 249. C.) de viduo, qui sororem mortuæ suæ conjugis duxerat, inquit, eum contra *sanctiones* egisse a *sanctis viris traditas*; impedimentum autem affinitatis, licet permittatur, quod hæc in linea recta ascendentium et descendendum in gradu primo dirimat jure naturæ matrimonium; in linea tamen obliqua solo jure ecclesiastico. In seculo IV. Conc. Eliberitanum anno 305. conjugia cum infidelibus, cum sorore uxoris iniri non

posse statuit can. 15. 16. et aliis (Labb. t. 1. p. 972.) Item SIRICIUS Papa epist. ad Himmerium c. 4. (Labb. t. 2. p. 1019. A.) refert impedimentum publicæ honestatis tanquam inductum a prælatis Ecclesiasticis. In seculo VI. jus hoc fuisse penes Ecclesiam evincitur ex Synodo Aurelianensi II. anno 533., Agathensi anno 506. can. 61., dum decernit diversos consanguinitatis et affinitatis gradus dirimentes matrimonium. In seculo VII. et VIII. Ecclesiam præscripsisse leges, quibus nuptiæ quædam fierent irritæ, liquet ex GREGORIO M. qui ineunte seculo VII. respondens quoad gradus consanguinitatis Augustino Cantuariæ Episcopo: *neesse est, inquit (opp. t. 3. p. 1154. B.) ut jam tertia, aut quarta generatio decenter sibi jungi debeat*; permittens Anglis in tertio et quarto gradu consanguinitatis conjugium, prohibens in secundo. Ex ZACHARIA Papa, quo præside habita anno 747. Rom. Synodus, qua revocata fuit venia post quartum gradum nubendi Germanis recenter conversis concessa a Gregorio II. Pro seculo XII. XIII. testis est ALEXANDER Papa II. in epist. 38. ad Episcopos, clerum, et iudices Italiæ. Concilium Lateranense sub Innocentio III. anno 1215. in quo consanguinitas coarctata ad quartum gradum fuit. In quatuor vero seculis, quæ Synodum Tridentinam præcesserunt, Ecclesiam, nemine contradicente, hanc exercuisse potestatem, nemo diffiteri potest; nullum enim ferme extat impedimentum, quod aut in Decreto Gratiani, aut Gregorii IX. Decretalibus non legatur. Item tunc ex toto christiano orbe ad Ecclesiam confluisse non modo plebeios, sed et principes, ut obtenta dispensatione liceret intra gradus prohibitos inire conjugia, omnis ferme testatur historia.

Ex his facile corrui, quod alias nonnulli respondent: 1°. Ecclesiam sibi jus illud usurpare cœpisse seculo IX. quo prodierunt epistolæ Decretales falso attributæ prioribus summis Pontificibus, ubique vero receptam fuisse praxin illam circa seculum XI. et XII. quibus Burchardus, Ivo Carnotensis, et Gratianus eas Decretales suis collectionibus inseruere. Nam, ut ex allatis liquet, non tantum ex Gregorio II., Gregorio M., sed etiam antiquissimis Conciliis multo ante seculum IX. varias de matrimoniis contrahendis leges Ecclesia sanciverat. Deinde cum Decretales illæ prodirent in lucem, suppositionem earum advertit Hinemarus Rhemensis, multique alij, qui de judicandis Episcopis egerunt cum Nicolao I. nemo tamen uti ausus argumento eo, quod illæ Decretales contra antiquam Ecclesiæ praxin, ut loquuntur adversarii, adstruerent Ecclesiæ potestatem impedimenta statuendi. Imo nec ullus principum, de quorum tamen jure agebatur ex supposito, ac quorum proinde maximi intererat ea novitas, oblocutus aliquando deprehenditur. Igitur

Respondent alij 2°. Ecclesiam equidem statuisset jam antiquissimis temporibus impedimenta varia, non tamen ex nativo ac proprio sibi jure, sed mera concessione principum. Verum contra est 1°. quod nulla prorsus assignari possit imperialis constitutio, qua potestas ea fuisset a principibus translata in Ecclesiam, nullus nominari princeps, qui concessisset. 2°. Quod Ecclesia hac potestate usa sit contra principes et constitutiones imperatorias. Nam cum Justinianus legem tulisset, ut licita essent inter consobrinos matrimonia §. *Duorum*, Inst. de Nupt. et cui similem legem jam ante ediderat Honorius, S. Gregorius Papa legem Honorii et Justiniani aperte reprehendit, et contra statuit in rescripto ad Augustinum Anglorum episcopum,

inter consobrinos matrimonia esse censenda illicita; et hæc Pontificis lex, non autem illa Cæsaris in Ecclesia robur obtinuit. Can. *Quædam lex*, caus. 35. q. 2. 3°. Si ex mera indulgentia principum potestatem hanc exercuisset Ecclesia, principes, ut intra gradus prohibitos celebrarent nuptias, non ita humiliter se latis ab Ecclesia legibus subiecissent, ita ut inviti etiam quandoque separationem paterentur, si celebrassent contra canones, quis enim credat maximos principes ita facile adduci potuisse, ut humiliter nuptiarum veniam peterent, velut eos fecisse patebit ex probat. 3. tam modeste ferrent comminationes Pontificum, nisi a prohibitis nuptiis abstinerent, aut plane separationem paterentur inviti, si Ecclesia hac potestate jure non alio usa fuisset, quam quod ipsi principes concessissent, quodque revocare potuissent pro libitu? Hinc alii

Respondent 3°. Ecclesiam sibi sensim arrogasse potestatem hanc, ac proinde vix fieri potuisse, ut arrogato huic juri contradicerent. At contra est 1°. quod, ex dictis probat. 1. Ecclesia ab Apostolorum temporibus hoc jure usa sit; ergo non sensim illud involavit. Quin Apostolus 1. Cor. 7. conjugium fidelis cum infideli ipse judicavit, quin ad ullum principem hanc causam remitteret; et Christus Matth. 6. et 19. sic libellum repudii sustulit. Contra 2°. quod ab adversariis hactenus proferri non potuerit, qui primus hoc jus invasisset. Contra 3°. quod hæc responsio nullam veri speciem præferat; 1. quia jus illud clanculum usurpari non potuit; sed ferendæ erant leges, ut in usum redderetur; dandæ dispensationes, quibus nuptiarum prohibitarum non plebeis solum, sed ipsis etiam principibus fieret indulgentia; 2. quia non est credibile, omnes orbis christiani principes simul et semel consensisse in usurpationem juris sibi alias debiti; omnes omnino ita semper siluisse, ut ne unus quidem contradiceret, in re, quæ tanti ipsorummet intererat; cum alioquin de investituris aliisque juribus, quæ principes concernere videbantur, gravissimas lites, imo bella, usque ad schismatis periculum, Ecclesiam inter et principes exarsisse omnes noverint.

Prob. III. Ex ipsorum principum secularium praxi et testimoniis. Nam 1°. principes, dum hac in re ediderunt leges, fatentur id se facere auctoritate canonum, ad hos promovendos: sic Carolus M. prohibens quasdam nuptias L. 5. Capit. *ita*, inquit, *Gregorius sensit. Ita canones prohibent copulari.* Carolus Calvus in edicto Pistensi: *conjugium illud... sicut Leo in decretis suis, et S. Gregorius in epistolis suis monstrant, dissolvatur.* Chilpericus Francorum rex indigne ferens, quod Prætextatus archiepiscopus Rothomagensis Meroveum cum amyta sua conjunxisset, in coacta Parisiensi Synodo, anno 577. teste Gregorio Turonensi, Prætextatum arguens, *an ignarus eras, ait, quæ pro hac causa Canonum statuta sanxissent?* 2°. Principes constanti observantia, cum contracta illegitima matrimonia dissolvi vellent, ipsi ad tribunal confugerunt Ecclesiæ. Sic Carolus M. priorem suam conjugem Desiderii Longobardorum regis filiam, non nisi post latam ab Episcopis sententiam dimisit. Lotharius post suam a Theutberga separationem, a Concilio Aquisgranensi decretam, novarum ab eodem nuptiarum humillime petiit. Henricus IV. Francorum rex Margaretham dimisit, sed non nisi post latam a Clemente VIII. per constitutos in Francia iudices Ecclesiasticos sententiam. Denique posteriores reges Christianissimos, ut irritarentur matrimonia clandestina, per Oratores suos id

solemniter petivisse a Patribus Tridentinis, constat ex Pallav. Lib. 22. c. 1. Plena est historia id genus exemplis aliis.

Ratio *a priori* est; quia matrimonium fidelium hoc ipso, quod evectum sit ad dignitatem sacramenti, cœpit esse contractus sacer et spiritualis; consequenter subtractus potestati seculari, et soli ecclesiasticæ subjectus. *Conf.* Demus, principem statuere impedimentum aliquod, quod per Ecclesiam statutum non sit; hoc casu certe matrimonium esset sacramentum juxta legem ecclesiasticam; non esset vero juxta civilem. Quid ergo foret dicendum? si catholicus es, Ecclesiam asseres prævalere; ergo principis impedimentum nullum erit; ergo illud ponendi nulla potestas. Dixi tamen in concl. *subditis suis fidelibus*; posse enim id principes seculares, etiamsi infideles, respectu subditorum infidelium, certum videtur, et est communis sententia. Ratio plana est; quia matrimonia infidelium sacramentum non sunt, sed contractus mere civilis; igitur sicut infideles principum suorum potestati legislativæ quoad contractus alios, ita quoad matrimonium subjecti sunt.

420. *Obj. I.* cum Launoio. In prioribus seculis soli principes statuerunt impedimenta dirimentia; ergo penes eos hoc jus tantum fuit. *Prob. Ant.* 1°. Legem prohibentem conjugia inter consobrinos, non Episcopi, sed Theodosius tulit. 2°. Legem 2. Cod. de incest. et inutil. nupt. qua proscribitur conjugium ingenui cum ancilla, Constantinus dedit; ad quam provocare videtur ipse Leo M. epist. 82. ad Rusticum Narbonensem. 3°. L. 4. Cod. cit. vetant Imperatores Valent., Theodos., et Arcad., contrahere nuptias contra mandata, constitutionesque principum. 4°. Patres in concilio Milevitano legem de divortio ab Imperatore petendam esse decreverunt.

R. 1°. *N. Ant.* Cujus aperta est falsitas ex probationibus conclus.

R. 2°. Et generaliter. Si quando principes leges tulerint de impedimentis matrimonii, id vel cum approbatione principis ecclesiastici factum; vel si ea defuit, lex illa etiam in Ecclesia robur non habuit; quod in ea ipsa lege Theodosii cit. videre est; cum enim eam abrogassent ejus filii, L. *Celebrandis*, c. de nupt. et deinde aliam dedisset Justinianus, ut licita essent inter consobrinos conjugia, obstitit S. Gregorius ex dictis in refutatione respons. 2. ac lex illa Justiniani et filiorum Theodosii omni auctoritate caruit. Item patet in ipsa lege Constantini irritante conjugium ingenui cum ancilla; ea enim tamdiu duntaxat valuit, quamdiu voluit Ecclesia; postquam hæc valere tale matrimonium voluit c. 1. de conjug. servor. excepto casu, quo pars libera et ingenua ignorat conditionem servilem alterius, etiam illa Constantini lex vigere desiit. Unde ad prob. 1^{am}. et 2^{am}. patet responsio. Item ad prob. 3^{am}. Demum ad 4^{am}. R. *N. simpliciter assertum.* Patres enim Milevitani non decreverunt petendam esse legem, qua decernatur, non licere post divortium uxorem aliam ducere, priore vivente, sed qua puniantur pœna etiam civili, qui id fecerint; jam enim Patres ipsi in Concilio rem definiverant, adjecta excommunicationis pœna.

421. *Obj. II.* Matrimonium est contractus civilis; ergo dispositioni principis politici subjectus est. *Conf.* Christus evectum contractum matrimoniale ad esse sacramenti, principi politico non abstulit potestatem, quam in illum habuerat, ut contractus civilis est; ergo.

R. D. Ant. Pure civilis N. talis, qui simul nunc sacramentum est, ut a nulla alia causa, quam solis contrahentibus separari a ratione sacramenti possit, C. et N. Cons.

Ad Conf. R. N. Ant. Hoc enim eo ipso fecit, quo contractum illum constitutum sacramenti esse voluit.

Si dicas: Constitutio impedimenti non tendit directe in aliquid sacri; sed solum in contractum qua civilem et politicum.

R. Esto, quod forte directe non tendat in aliquid sacri; tendit tamen in aliquid ad irritandum contractum sacrum, qui simul est sacramentum, nec subjacet jurisdictioni secularium, sed hæc potestas nulli secularium competit, et aliunde actus ex legibus ecclesiasticis validus indignationem et offensam judicis secularis non reformidat.

422. Obj. III. 1°. Potest princeps politicus disponere quoad dotem, arrham, donationem ad nuptias, successionem in hæreditate, aliosque effectus civiles; ergo etiam quoad ipsum contractum, quatenus civilis est. 2°. Potest princeps decernere pœnas iis, qui contra leges ab ipso latas contrahunt; ergo. 3°. Potest prohibere militibus, ne sine obtenta venia uxores ducant. 4°. Hanc potestatem circa matrimonium ut contractum civilem in principibus agnoscit S. THOMAS in 4. dist. 34. q. 1. a. 1. ad 4. *Matrimonium, in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino, et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad Matrimonium illegitima.*

Ad 1^{um}. R. C. Ant. N. Cons. Disparitas est, quod priora, dos, arrha, et similia ex se quid mere seculare sint, et omnino accessorium, proinde dispositio de his non est in rei sacræ præjudicium; unde etiam quotidie intra Catholicam Ecclesiam coram seculari iudice illæ causæ aguntur: at contractus matrimonialis nec quid mere seculare, nec accessorium est, sed ipsum constituit sacramentum.

Ad 2^{um}. R. D. Ant. Si leges illæ principum, et pœnæ in transgressores statutæ, sint latæ ad promovendas vel adjuvandas leges ecclesiasticas, quæ vel prohibent, vel irritant quædam matrimonia C. si versentur circa matrimonia lege ecclesiastica approbata et valida N.

Ad 3^{um}. R. Non obstante tali prohibitione, ipsum matrimonium semper tamen erit validum. Deinde princeps his prohibet matrimonium ad exigentiam boni publici; proinde prohibitione sua urget præceptum naturale, quod prohibet privatis matrimonium, si est in boni communis præjudicium.

Ad 4^{um}. R. D. cum explic. In quantum est in officium communitatis, statuitur a jure civili in ordine ad effectus civiles, dotis, successionis, idoneitatis ad officia, et similibus: item si fiat cum subordinatione ad Ecclesiam C. secus N. Nam tale jus civile alias se solo insufficiens esse, idem Doctor Angelicus aperte tradit in 4. dist. 42. q. 2. a. 2. ad 4. ubi: *Dicendum, quod prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret Ecclesie auctoritas, quæ idem etiam interdicit.* Dicit etiam potest, S. Thomam locutum esse de matrimonio, prout contrahi potest indifferenter

vel a gentili, vel ab infideli, vel a fidei, et sic quolibet jure dirimi posse, in gentili quidem per jus naturæ; in infideli per jus naturæ et civile; in fidei per jus naturæ et ecclesiasticum.

ARTICULUS II.

AN DE FACTO IN GERMANIA, ALIISQUE PROVINCIIS SEPTENTRIONALIBUS LIGENTUR HETEROДОXI IMPEDIMENTIS MATRIMONII JURE SOLEM ECCLESIASTICO DIRIMENTIBUS, UT PROINDE INVALIDA CENSERI DEBEANT EORUM MATRIMONIA TALI CUM IMPEDIMENTO CONTRACTA?

423. Præsentem controversiam, quæ sane momenti maximi est, et usus in provinciis septentrionalibus frequentissimi, neminem pertractare ausum fuisse ante P. Lessium e Societate comperimus: quem postea secuti Doctores inter se admodum discordes, de ea multa varietate sentiunt, et loquuntur. Et quidem conjugia ejusmodi valore omnino destitui cum Lessio, Busebaum et aliis late defendit P. Gobat Exper. Tr. 9. et Append. 13. tametsi sententiam oppositam asserat in praxi tutam. Pro valore e contra conjugiorum illorum stant Petrus Marchant., Henric. Mair, et hoc teste, Simon Felix moralis scientiæ Doctor eximius. Favent etiam non obscure Tanner tom. 4. Disp. 8. q. 3., Laym. Lib. 5. Tr. 10. p. 2. c. 4. alique, dum valida esse docent conjugia ab hæreticis, absente loci parochæ catholico, contracta. Aperte vero connubiorum eorum valorem propugnant Schmalzgr., Pichler, van Espen, alique recentiores præsertim Canonistæ hodie communius, maxime quoad impedimentum clandestinitatis, quos refert Pichl. Tit. 1. de Matrim. n. 98. Nos, donec Ecclesia quid aliud statuat, interim ita cum posterioris sententiæ patronis resolvimus:

424. Dico. Probabilius est, in Germania nostra aliisque provinciis septentrionalibus de facto non ligari heterodoxos impedimentis matrimonii dirimentibus, jure tantum ecclesiastico statutis; proinde valida censenda esse eorum connubia tali cum impedimento contracta.

Dixi 1°. de facto: i. e. nunc temporis, quo ipsis vel præscriptio et consuetudo legibus Ecclesiæ connubialibus contraria, vel conniventia Ecclesiæ favet probabilius; alias enim hæreticos quoscumque legibus quibuscumque Ecclesiæ, tam connubialibus, quam aliis ligari per se, ante præscriptionem, ac consuetudinem contrariam, aut conniventiam Ecclesiæ, certum supponimus; utpote qui per baptismum ingressi Ecclesiam, hujus hoc ipso esse subditi, et jurisdictioni subesse cœperunt. Can. 5. D. 43.

Dixi: 2°. dirimentibus jure tantum ecclesiastico; pariter enim certum est, hæreticos æque ac Catholicos perpetuo ligatos teneri impedimentis, quæ naturalis, aut divini juris clari sunt, cum contra utrumque nulla unquam prævalere possit consuetudo; assuefactio enim ad res malas, aut a potestate superiore, quam sit humana, prohibitas, corruptela est potius, quam vera consuetudo.

Prob. I. Non videtur credibile, quod Ecclesia velit urgere leges suas contra heterodoxos quoad impedimenta matrimonii; ergo probabilius iis de facto non ligantur. Prob. Ant. Non est credibile, quod Ecclesia velit urgere